

SCRIPTA

Numéro Scripta : 216

Auteur(s) : Ingenold [particulier]

Bénéficiaire(s) : Chartres, Saint-Père (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : [1101-1116]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Notice rapportant l'abandon, par différents personnages, des revendications qu'ils portaient sur la terre de Bouffigny.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Guérard Benjamin, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, Paris, Crapelet (Collection de documents inédits sur l'histoire de France ; 1ère série. Histoire politique), 1840, 2 vol., t. 2, p. 520-521.

Dissertation critique

Datation proposée par B. Guérard.

Texte établi d'après a

Litteris presentibus manifestum sit omnibus per temporum seriem succedentibus, quod Ingenoldus, et Paganus ejus nepos de Fains, calumpniam quam super terram Bulfiniaci faciebant, rogatu Willelmi abbatis et cujusdam Raimberti, monachi nostri, et pro LX solidis denariorum, quos hac de causa ab eodem Raimberto accepit, Ingenoldus autem, coram Gisleberto de Tegulariis et Hersende matre ejus, concessit. Videntibus his : Willelmo de Pertico, Willelmo de Cortellis ; Sulpicio, fratre Chotardi ; Galterio, filio Richardi ; Garino, fratre ejus ; Roberto Adequardo. Ipso igitur die quo prefatus Ingenoldus dictam dimisit calumpniam, conventionem quadam hominum fortuito facta in via que est inter castrum Bruerolis et Tegularias, Paganus de Fens ibidem assistens concessit. Hoc viderunt et hii : Robertus de Morvillari ; Hugo, filius Baldrici ; Haimo de Resumptis, Rogerius Geminus, Girardus molnerius ; Girardus, filius Fulberti ; Robertus, filius Frodonis ; Sulpicius, filius ejus ; Galterius Crassus, Sulpicius decanus. Hanc itaque terram Bulfiniaci miles quidam, Otrannus de Foro, calumpniatus est. Willelmus vero, sancti Petri tunc temporis abbas, inde cum eo placitavit coram Gisleberto de Tegulariis, et secum Ivonem episcopum, ad placitandum illud, adduxit ; cumque Otrannus judicium nollet audire, inducias quesivit. Qui tandem, infra quesitum judicii spatium, cum Raimberto, monacho nostro, concordiam fecit et coram Gervasio, apud Damni Machinam, calumpniam illam penitus dimisit, ibique se sancto Petro donavit. Quod, si monachus fieri vellet, cum tali portione sui census qualem secum deferret, illum susciperemus, et se nunquam alibi monachari pepigit ; et, si absque eo quod monachus esset moreretur, illum, ut fratrem et amicum ecclesie, cum parte terre sue, si nobis deferretur, sepeliremus. Ad hoc fuerunt et audierunt : Hugo Broste Salz, monachus, et Hubertus, filius Lamberti, monachus ; Robertus de Trunco Villari, Symon Saxo. Hucusque ab eo de terra illa pacem habuimus ; sed, quoniam idem Otrannus a quodam Symone Enparchepein terram jam sepedictam emerat et eam ab ipso tenebat, petivimus ab eo ut quod Otrannus fecerat ipse concederet. Qui tandem, rogatu Raimberti, jam dicti monachi nostri, Carnotum

venit, et in capitulum nostrum, coram omnibus fratribus, concessit, et super altare sancti Petri concessionem posuit, et cum eo Isnardus, frater ejus, qui et ipse concessit, et Garinus de Fretneto, Godefridus de Bosco Froberti, Odo de Plano Campo.